



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Codex diplomaticus Brandenburgensis**

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für  
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1865**

XCVIII. Notariat-Instrument über die Postulation des Markgrafen Friedrich  
zum Bischofe von Havelberg, vom 17. Juli 1548.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

XCVIII. Notariats-Instrument über die Postulation des Markgrafen Friedrich zum Bischofe von Havelberg, vom 17. Juli 1548.

In nomine domini Amen. Nouerint vniuersi et singuli presens publicum instrumentum inspecturi, lecturi et audituri, Quod anno a nativitate ejusdem domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, Indictione sexta, die vero martis, decima septima mensis Julij, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini pauli, diuina providentia pape tertij anno decimo quarto; Ex quo Cathedralis ecclesia Havelbergensis presulis et pastoris officio et solatio caret et vacat ac penitus destituta est, per obitum bone memorie Reuerendi in Christo patris et domini, domini Buffonis, quondam Episcopi havelbergensis, qui diem vite sue die veneris quarta mensis Maij de anno presenti clausit extremum et ultimum, Cujus corpus ecclesiastice sepulture traditum est; Inuocata primitus spiritus sancti gratia ac missa de eodem spiritu sancto decantata, congregatis postmodum venerabilibus et eximiis viris, dominis petro Conradi decano, Conrado Schollen seniore, Johanne Mollendorf, Luca Wultzken, Hinrico Goltochs, Joachim Barfs, Wulfango Redorffer Jurium doctore, Joachim Tidicke et Johanne Fuck, Canonicis prefate ecclesie havelbergensis, In loco eorum capitulari hora octaua vel quasi capitulariter Congregatis et Capitulum ipsius ecclesie facientibus et representantibus propter infra-scripta ad hoc legitime omnibus vocatis et citatis, In mei Notarij publici testimonio infra-scriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum presentia constitutus dictus dominus petrus Conradi, decanus prefate ecclesie caput post Episcopum alios prefatos dominos et Canonicos presentes de Capitulo alloquutus est in in generali dicens: Venerabiles et eximii domini ac fratres in Christo charissimi, dignationibus uestris optime constat, Quanta incommoda, damna et inconuenientia passi sumus et tribulationes ac prosequutiones habuimus et sustinuimus a tempore obitus dicti quondam domini Buffonis, episcopi et pastoris nostri. Ne autem ecclesia nostra propter diuturnam ejus vacationem grauem et intollerabilem in spiritualibus et temporalibus patiatur laesionem, Ad euitandum vero maiora damna incommoda et inconuenientia, ex quo vobis hodiernus dies statutus est, ad quem vos omnes et singuli per litteras speciales per Notarium publicum vocati et citati estis de futuro pontifice eligendo seu postulando, Et jam in id ipsum conuenistis omnes. Admoneo igitur et hortor vos omnes et singulos, vt nemo ex vobis sit excommunicatus, hereticus, scismaticus, suspensus, interdictus seu irregularis, vel qui aliud Canonicum impedimentum notorium siue occultum habuerit vel hujusmodi Canonicæ electioni seu postulationi legitime interesse non possit, Se nullo modo intromittat, sed discedat et exeat quisquis talis est, Ne aliis diuinum hoc opus electionis seu postulationis Canonicæ agentibus impedimento sit. Eorum enim et talium voces et vota ego meo et aliorum totius capituli nomine non admitto. Etiam si voces et vota fecerint volo meo et aliorum totius Capituli nomine pro non factis habere nec admittere, de quo ego meo et totius Capituli nomine publice protestor. Insuper hortor et admoneo vos omnes et singulos per viscera misericordie domini mei hiesu Christi, ut inter vos secludatis et remittatis omnem Inuidiam, timorem, rancorem et discordiam et quisquid distinctu diabolice fraudis in cordibus vestris vel inter vos alterutrum antiqui serpentis astu motum quomodolibet radicatum esset, ut possint omnes et singuli in ea pace, quam dominus mandauit, Canonicam hanc futuri pontificis electionem seu postulationem salubriter agere atque perficere et ut tollatur a nobis omnibus eligentibus mala suspicio et ne videamur munere vel metu, carne seu sanguine, aut alia mala occasione in isto electionis seu postulationis actu a via viritatis et integritatis,

quam pretendimus declinari: expedit enim aut juri Consonum est atque per laudabilem hujus ecclesie consuetudinem jam dudum, observatum et approbatum, quod omnes et singuli eligere seu postulare volentes corporali juramento asserant et affirmant, se velle secundum bonam conscientiam sue intelligentie eligere et postulare eum, quem credunt ecclesie nostre futurum Episcopum atque pastorem animarum meliorem et utiliorem. Idcirco omnes et singuli tactis precordiis jurabit et quilibet dicat, ego juro. Ac statim quilibet eorum tam decanus quam canonici tactis precordiis juraverunt, et quilibet eorum juravit. Presertim autem juramentis memoratus dominus petrus Conradi, decanus dixit: Eligenda est nobis in primis via vel forma, per quam ad electionem seu postulationem Canonice venire possimus. Si igitur placuerit omnibus et singulis, quod per viam scrutinii procedatur dicat unusquisque mentem suam per verbum placet, vel non placet. Quo dicto statim omnes et singuli ex ordine a primo usque ad novissimum dixerunt plana voce placet nobis. Subinde omnes et singuli Canonici nominaverunt et elegerunt duos scrutatores videlicet dominos Wolfgangum Redorffer, doctorem, et Joachim Barfs, Canonicum diete ecclesie qui tactis precordiis ad sancta dei evangelia juraverunt bene et feliciter referre ea, que in scrutinio huiusmodi reperierint. Posthec locum Capitularem decanus et singuli canonici exiierunt, remanentibus autem duobus scrutatoribus. Et statim dominus Wolfgangus interrogatus ita dixit: Ego Wolfgangus Redorffer in conscientia mea et qui solum deum pre oculis habeo, credo illustrem principem et dominum Fridericum, Marchionem Brandenburgensem etc., illustrissimi principis et domini, domini Joachimi, Marchionis Brandenburgensis, Sacri romani Imperii Archicamerarii et Electoris, Stettinensis, pomeranie, Cassuborum, Schlaurum et in Schlesia ad Crossen Ducis, Burgravii Nurenbergensis et principis Rugie, filium legitimum meliorem et utiliorem, et in eum consentio ac eundem nomine postulandum in Episcopum et pastorem ecclesie havelbergensis. Deinde Dominus Joachim Barfs, alter Scrutatorum, dictum illustrem principem dominum Fridericum nominavit postulandum in Episcopum havelbergensem. Posthec dominus petrus Conradi, decanus ad locum Capitularem accersitus fuit, Qui simili modo, sicut Dominus Wolfgangus Redorffer, credebatur dominum fridericum, Marchionem Brandenburgensem, ac eundem nominavit postulandum et postulavit in Episcopum ecclesie havelbergensis. Deinde iuxta senium ad ordinem vocati fuerunt ceteri domini Conradus Schollen Senior, Johannes Mollendorf, Lukas Wutzke et dominus petrus Conradi, decanus, procuratorio nomine domini hieronimi Moderik, absentis, cujus voluntatem habuit, ac Hinricus Goltchs, Joachim Thideke et Johannes Fugk, qui omnes unanimiter et concorditer deum pre oculis habentes consentierunt et nominaverunt postulandum dominum fridericum, Marchionem Brandenburgensem et postularunt in episcopum et pastorem ecclesie havelbergensis. Post factum scrutinium predicti scrutatores vocaverunt omnes Canonicos ad locum Capitularem et dominus Wolfgangus Redorffer, unus de Scrutatoribus, dixit ad Capitulum: Nos examinamus vota singulorum, placet vobis, ut illa publicemus. Responderunt omnes: placet. Qui quidam dominus scrutator de consensu sui conscrutatoris rettulit, Quod omnes et singuli Nemine discrepante in illustrem principem dominum fridericum, Marchionem Brandenburgensem etc. consensissent. Quare collatio numeri ad numerum non requirebatur. Interrogavit idem Scrutator, Si postulationem exposcerent. Qui dum omnes et singuli eandem fieri petiuerunt, Idem Scrutator expressa voce legendo pronunciauit In hunc, qui sequitur, modum Inuocata spiritus sancti gratia ad honorem dei et gloriosissime virginis Marie matris ejus ac sanctorum Laurentii et Constantii patronorum ecclesie havelbergensis, quia in reuerendum et illustrem principem et dominum, dominum fridericum, Marchionem Brandenburgensem, Illustrissimi principis et

domini, domini Joachimi, Marchionis Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archicamerarii et electoris filium legitimum in minoribus ordinibus constitutum in etate autem et sacris majoribus ordinibus defectum habentem omnes concorditer nomine discrepante in Scrutinio consensimus ac meo et aliorum omnium nomine eundem in nostrum et ecclesie nostre havelbergensis novum episcopum et pastorem postulauimus eandem postulationem sic factam in his scriptis pronuncio. Que quidem postulatio omnibus et singulis dominis videlicet decano et Canonicis grata et accepta fuit. Eandemque postulationem feliciter ratam habuerunt atque gratam ac nimio pre gaudio exultantes et gaudent alta et devotu voce canticum jocunditatis et leticie Te Deum laudamus et in dicta ecclesia havelbergensi campanis pulsatis cantauerunt et ibidem deo et omnibus sanctis viris oratione facta gratiarum actionem egerunt. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras siue presens publicum instrumentum exinde fieri et per me Notarium publicum infra scriptum subscribi, necnon quilibet manu propria se subscripsit et publicare mandarunt, Sigillique sui magni ecclesie havelbergensis subappensione communiri. Acta fuerunt hec in domo Capitulari ipsius ecclesie havelbergensis et in ecclesia predicta sub anno, Indictione, die, mense et hora ac pontificatu, quibus supra, presentibus ibidem honorabilibus dominis Petro Latekat et Johanne petri, vicariis in dicta ecclesia havelbergensi, testibus ad premissa specialiter rogatis et requisitis.

Ego Petrus Conradi, decanus et Officialis generalis havelbergensis premissis interfui, postulavi et consensi ut supra, quod manu propria attestor.

Ego Conradus scalene, senior et Canonicus ecclesie havelbergensis premissis interfui, postulavi et consensi ut supra, quod manu propria attestor.

Pro domino hieronimo Moderick absente ego petrus Conradus (sic) ex procuracione premissis interfui, postulavi et consensi, quod manu propria attestor.

Ego Joachim Barfewis, Canonicus et Cantor, premissis interfui, postulavi et consensi, ut supra, quod manu propria attestor.

Pro domino Johanne Mollendorf, Canonicus havelbergensi, qui premissis interfuit, postulavit et consensit, ego Ebellus Mollendorf, similiter Canonicus, rogatus manu mea propria subscripsi.

Ego Wolfgangus Redorffer, Canonicus Ecclesie havelbergensis, vnus de scrutatoribus, premissis interfui, feci et postulavi et consensi ut supra, quod protestor hac manu mea propria.

Ego Lucas Wültzke, Canonicus havelbergensis, premissis interfui et consensi, quod manu propria attestor.

Ego henricus Goltochs de berentzweiler, ecclesie havelbergensis Canonicus, premissis interfui et consensi, quod manu propria attestor.

Ego Joachimus Tiedtke, Canonicus ecclesie havelbergensis, premissis interfui et consensi, ut supra, quod manu propria attestor.

Ego Johannes Fugius, ecclesie havelbergensis Canonicus, premissis interfui, postulavi et consensi, ut supra, quod manu propria attestor.

Et Ego Joachimus Tolle, clericus, havelbergensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritatibus Notarius jam dicte dominorum scrutatorum electioni et nominationi ac eorum pronuntiationi Necnon noui presulis et episcopi postulationi omnibusque aliis et singulis dum sic ut premittitur fierent et agerentur presens interfui testibus premissis interfui, Eaque sic fieri, vidi et audiui, ac in notam sumpsi; Ex quo hoc publicum instrumentum manu mea fideliter scriptum exinde

feci, subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi, Signoque nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi In fidem et testimonium omnium et singulorum premifforum rogatus specialiter ac requisitus, Necon sigilli maiori capituli havelbergenfis appensione communiui.

Nach einer alten, im Geheimen Staats-Archive befindlichen Copie.

IC. Kurfürst Joachim verschreibt auf Bitten der Appollonia von Harstall, gebornen Gräffin von Ruppin, ihrem Sohne Anthonius das Angefälle der im Ruppinschen sich erledigenden adlichen Güter, am 8. September 1548.

Wier Joachim, von Gots Gnaden Marggraff zu Brandenburg, des heiligen Romischen Reichs Ertzcamerer vnd Churfurst, zu Stettin, Pommern, der Cassuben, Wenden vnd in Schlesien zu Crossen hertzog, Burggraff zu Nurnberg vnd Fürst zu Rügen, Bekennen vnd thun kund öffentlich mit diesen Brieff vor vns, vnser Erben vnd Nachkommende vnd sonsten gein jederman männiglich, daß wir uff vnterthänig Bitt der Wolgebornen vnd Edelen vnser lieben getreuen Appollonien, gebornen Gräffin von Ruppin vnd Frauen von harstall, auch aus sondern Gnaden, damit wir Ihr zugethan vnd geneigt, Ihrem Sone Anthoniussen von Harstall vnd seinen männlichen Leibs lehns Erben alle vnd igliche Lehngüter, Gult, Renth vnd Pächte, so die Erbared Manschaft vnd vom Adel im lande zu Ruppin von vns zu Lehen tragen vnd haben, wo vnd an welche Art dieselben belegen, zu rechten Angelof vnd Antwortung gnädiglich verschrieben vnd zugefagt. Verschreiben vnd zusagen Ihme vnd seinen Mänlichen leibs Lehns Erben dieselben hiemit zu rechten Angelof in Krafft vnd Macht dis brieffes, Also wen einer vom Adel jm Land zu Ruppin, wie obftet, one Leibs Erben vorstürbe vnd vns desselben Lehengüter als dem Landsfursten heimfallen vnd vorledigen würden, daß alsdan gedachter Antonius von harstall vnd seiner männliche Leibes Lehens Erben vnd niemand anders dieselben von vns, vnfern Erben vnd Nachkommen zu rechten manlehen haben, empfhahen, besitzen vnd geniefsen sollen vnd mogen, als manlehens recht vnd gewonheit ist, vor vns, vnfern erben vnd männiglich vngehindert. Alles getreulich vnd sonder gefahrt. Zu urkundt mit vnserm anhangenden Insiegel vorsiegelt vnd geben zu Schönebeck, am tage Nativitatis Marie, nach Christi vnfers herren Gebuhrt taufent fünffhundert vnd im acht vnd viertigsten Jahre.

Aus Seidel's handschriftlicher Urkundensammlung 42, f. 29.